



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 3. Conditiones pro firmitate hujus pacis a Papa propositæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

§. III.

Sæcul. XVI
A.C. 1514.*Conditiones pro firmitate hujus pacis
a Papa propositæ.*

Præterea Pontifex, ut hujus pacis firmitati consuleret, provide statuit, ut Ambæ partes, quod arbitrio stare velent, cautionem facerent, & Venetorum Respublica Ecclesiasticis copiis ingressum in Cremensem urbem concederet; si vero urbes Sedi Apostolicæ concreditæ disertis verbis in arbitri sententia non comprehenderentur, nec etiam alterutri partium adjudicarentur, tunc quantocius ei, qui illas in sequestri fidem dedit, redantur; insuper illi, quorum intererat, sibi quoque præcavebant, & quidem Leo X. literis proprio chirographo signatis pollicebatur, se sine utriusque partis consensu nunquam sententiam pronunciaturum. Ast propter hanc ipsam conditionem pacis conciliatio effectu caruit; quippe Imperator probe intelligens, Pontifici haud acceptum esse, quod Germani quasdam in Italia urbes possiderent, totam Longobardiam sibi eripi metuebat, eoquod jamjam ante initam pacem a se mediam illius partem exigere cerneret; hinc haud temere Venetos cum Pontifice in ipsius damnum colludere suspicabatur. Nec ipsis quoque Venetis res arridebat; con-

A 4

jecta-

Sæcul. XVI.
A.C. 1514. jectabant enim illi, quod Papa, cum ad tuendas urbes, quæ ipsi sub depositi fide relinquendæ forent, sat militum non haberet, forte illas tam exiguo præsidiorum numero firmaturus esset, ut non modo Germani, sed & Hispani, si eis liberet, nullo ferme negotio illas sibi subjicere possent.

§. IV.

Leo successu frustratus in Venetos vindictam exerit.

Cum Pontifex sua pacis conciliandæ studia optato exitu frustrari perspiceret, Venetorum pertinaciam ulturus Prospero Columnæ & Sabellio Ducibus negotium dedit, ut Cremam cingerent; ast Ranceus de Ceri hujus urbis Præfectus inopino erumpens, Pontificis copias profligavit, pluresque occidit; Sabellius tamen fuga sibi consuluit, demum vero Prosper soluta obsidione in Romandiolam secessit.

§. V.

Veneti Marani obsidionem bis solvere compulsi.

Haud magis prospera Venetis accidit Forojulienensis expeditio. Primo quidem Livianus secundis dimicabat armis; quippe